Schröder, Otto
Studia Pindarica

Jahresbericht

über das

Königl. Joachimsthalsche Gymnasium,

womit zu der

am 10. April stattfindenden öffentlichen Prüfung

ergebenst einladet

Dr. C. Schaper,
Director.

Inhalt:

BERLIN.

Druck von J. Dræger's Buchdruckerei (C. Feicht).

1878.

1878. Progr. No. 43.

STUDIA PINDARICA.

1. Isthmiorum carminum tertium et quartum coniuncta traduntur in iis libris, qui etiam carmen II cum tertio coniunctum habent, separata vero in Vat. B., codice praestantissimo, atque etiam a scholiastis videntur esse distincta. Plerique tamen recentioris aetatis viri docti, ne duo eodem metro scripta carmina haberent, in unum coniunxerunt excepto Th. Bergkio, qui, cum in unum illa si coniungerentur, multae gravesque orerentur difficultates, rursus divisit, ita tamen, ut et carmen III iusto carere diceret prooemio neque carminis IV institutum ita ut par esset absolvi. Quae consulto iisdem numeris scripta esse censet vir egregius, quoniam »in honorem eiusdem victoris haud dubie brevi intervallo et maius et minus carmen compositum« sit. Denique Isthm. IV ante Isthm. III factum esse observavit.[1])

Post Bergkium alii aliam viam ingressi sunt homines docti cum Hermanno »quidvis potius tentandum, quam disiungenda carmina eodem metro scripta« existimantes. Quo ex numero solus Constantinus Bulle[2]) auditu dignus, qui eo potissimum differt a Bergkio, quod Pindarum Isthmio IV quamvis integro carmini, cum alteram victoriam Melissus reportavisset, duodeviginti versus (= Isthm. III Bergkii) praefixisse opinatur; et hoc quidem ita egregie fecisse poetam, ut etiam elegantiorum quorundam hominum iudicio partes duae una quasi forma percussae esse videantur. Accuratius paullo examinantibus nobis ne dubitationem moveant nonnulla inter se parum convenientia, Bulle locum Goethianum confert.[3])

Sed ut non dicam quantum distent nostrae aetatis homines legendo potius quam audiendo poëmata percipere sueti a Graecis illis auditoribus dumtaxat iisque inter audiendum et attentissimis et sagacissimis: illud Goethianum id est, quod tolerari possit,[4]) haec duo Pindari carmina in unum coniuncta ferri nullo modo possunt. Non moror quae in prima carminis IV stropha, si excipit illa epodum carminis III, neminem non offen-

1) v. PLG[3] p. 253. Heynii ed. [2]I p. 599.
2) vide progr. schol. prim. Brem. 1869, Jahn. ann. vol. CIII (1871) p. 585 ss.
3) epilog. ad Schilleri carm. de campana str. 11 et 12.
4) cf. etiam Uhlandi carmen de poetae reditu.

dunt:[1]) carminum rationes omnino diversae sunt. Nam in carm. IV Isthmiaca victoria praedicatur tanquam post diuturnam caliginem prima lux, quae priscum gentis splendorem aliquantisper obscuratum restituat, tertium carmen duas Melissi victorias, alteram Isthmiacam, alteram Nemeaeam, laudat ut non miras in gente victoriis et divitiis antiquitus insigni. Quid, quod in utroque carmine universi generis humani fortunam parum constantem affert poeta? At vide quam diverso id faciat consilio! Etenim in quarto quidem victorem vult consolari, in tertio eoque procul dubio post illud composito (v. Bergk. PLG[3] p. 253, Bullii progr. Brem. p. 9 ss.) admonere. Denique ineptissimum foret c. IV cum tertio coniunctum propter III, 5—6: πλαγίαις δὲ φρένεσσιν οὐχ ὁμῶς πάντα χρόνον θάλλων ὁμιλεῖ (ὄλβος). — Quae cum ita sint, rectissime Bergkium carmina distinxisse arbitramur. — Iam accuratius age sis considera c. III: »Si quis aut certaminibus gloriosis aut divitiis felix compescit animi insolentiam, dignus est laudibus civium suorum. Divinitus enim homines virtutibus praediti sunt; maiore autem pii utuntur prosperitate, impii minore.« Apparet summam strophae positam esse in commendanda moderatione et pietate. Pergit poeta: »Oportet autem pro gloriose factis virum bonum carmine celebrare... Ac duabus adeo victoriis reportatis, quarum altera curulis est, ad hilaritatem animum convertat Melissus. Qui virtutem congenitam non dedecorat. Nostis enim Cleonymi gloriam curulem, Labdacidis autem cum cognati essent (sc. Cleonymidae), divitias permeabant (διέστειχον cum Herm.) satis amplas ad suscipiendos labores quadrigales. Sed vita hominum alia alias mutare solet, invulnerabiles soli dei.« — Quid igitur? Commemoratis victoriis orationem recurrere ad sententiam in initio positam animadverteris. Victorem enim et gloriosum et divitem admonere vult poeta, ne in tanta prosperitate hominem se esse obliviscatur. Equidem nihil desidero hoc in carmine. Quod non minus mihi videtur esse absolutum et perfectum quam Ol. XI (X) aut Pyth. VII. Denique carmen desinit similem in sententiam atque Ol. VII: ἐν δὲ μιᾷ μοίρᾳ χρόνου ἄλλοτ' ἀλλοῖαι διαιθύσσοισιν αὖραι. — A verbis ἔστι μοι θεῶν ἕκατι κτλ. (Isthm. IV, 1 = III, 19 vulg.) carmen incipere posse negavit post alios Bergk, ego negare non audeo coll. Ol. XIII in. Τρισολυμπιονίκαν — γνώσομαι τὰν ὀλβίαν Κόρινθον, Pyth. IX. in. Ἐθέλω χαλκάσπιδα Πυθιονίκαν — Τελεσικράτη — γεγωνεῖν, ubi quid canere velit in ipso limine poëta simpliciter significet. Quod Nem. VI, 45 locum nostri similem afferunt, ut Isthm. IV a tertio separatum iusto prooemio carere ostendant, id certe quod volunt non efficiunt. Namque abrupta subito oratione novum quasi exordium capiens Pindarus Aeginae laudationem sic instituit: πλατεῖαι πάντοθεν λογίοισιν ἐντὶ πρόσοδοι νᾶσον εὐκλέα τάνδε κοσμεῖν· ἐπεί κτλ. Sed mitto

[1]) Mira prorsus de hoc loco protulit Mezger Jahn. ann. 1867 p. 396—97; sed conf. Bullium progr. Brem. 1869 p. 7 et 19.

[2]) vide praesertim Friederichs. stud. Pind. p. 97.

haec: quaeritur nunc quomodo factum sit, ut, id quod plane inauditum est non solum apud Pindarum, sed etiam apud scenicos poëtas, duae odae eodem metro scriptae exstent. Quod Bergk ad insolentiam istam excusandam profert, non satisfacit.[1]) — Quid hoc? Cleonymidas Pindarus Isthm. IV, 9—14 sic collaudat:

ὅσσα δ' ἐπ' ἀνθρώπους ἄηται
μαρτύρια φθιμένων ζωῶντε φωτῶν
ἀπλέτου δόξας, ἐπέψαυσαν κατὰ πᾶν τέλος· ἀνορέαις δ' ἐσχάταισιν
οἴκοθεν στάλαισιν ἅπτονθ' Ἡρακλείαις·
καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν.

Fateor poetam satis prodigum esse in eiusmodi hyperbolis adhibendis: huic loco quem conferam non habeo. Dissen quidem ad verbum *δόξας* v. 11 notat: »laudis, virtutis« et ad v. 12: »quod Herculis columnas eos assecutos dicit, magis de virtutibus intelligendum est quam de rebus cum successu gestis.« Sed ut concedamus haec viro acutissimo: si quidem »*διάπειρα βροτῶν ἔλεγχος,*« restat hoc loco aliquid inane collatis et verbis statim subsequentibus *ἱπποτρόφοι τ' ἐγένοντο*, ad quae recte monet Dissen *ἱππ.* prudenter dictum esse, cum victores non semper fuerint, et vss. 28—30, qui ostendant maioribus in ludis Cleonymidas decertasse illos quidem, vicisse nunquam. — Quid, si nondum docuerat Pindarus carmen IV eo tempore, quo victoria Nemeaea nunciata est, tum vero poetae illud non iam satisfecit?[2]) Quid multa? Carmine si non abiecto, at suppresso Pindarum existimamus numeris iisdem alterum carmen (= Isthm. III) composuisse. Nemeae conicimus sub ipsam Melissi victoriam coll. Ol. XI (X) Olympiae ut videtur cantato. Illud tamen quominus deleret, prohibebant fortasse nonnulli carminis loci gratiae pleni, velut v. 79 ss.; privatim opinor aliquando cum amicis, quin etiam cum victore poeta communicavit. Quo factum est, ut prius quoque carmen usque ad nostra tempora servaretur. — Ceterum qua ratione utrumque carmen Isthmiorum libro a grammaticis insertum esse videatur optime exposuit Th. Bergk. PLG [3]p. 253.

---

2. Pyth. IV, 263:

γνῶθι νῦν τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν· εἰ γάρ τις ὄζους ὀξυτόμῳ πελέκει
ἐξερείψῃ κεν μεγάλας δρυός, αἰσχύνῃ δέ οἱ θαητὸν εἶδος,
καὶ φθινόκαρπος ἐοῖσα διδοῖ ψᾶφον περ' αὐτᾶς,
εἴ ποτε χειμέριον πῦρ ἐξίκηται λοίσθιον,
ἢ σὺν ὀρθαῖς κιόνεσσιν δεσποσύναισιν ἐρειδομένα

1) cf. Friederichs. stud. Pind. p. 96.
2) cf. etiam Bullium progr. Brem. p. 18—19. Jahn. ann. vol. CIII p. 587—588.

μόχθον ἄλλοις ἀμφέπῃ δύστανον ἐν τείχεσιν,
ἐὸν ἐρημώσαισα χῶρον.

Poeta postquam expeditionem Argonauticam regnique Cyrenaici enarravit origines, pergit: »Sape nunc Oedipodis sapientiam. Nam si quis securi acuta amputet ramos magnae quercus deturpetque eius admirandam speciem, quamvis sterilis facta qualis sit testatur, si quando in ignem hibernum pervenerit extremum illum sive rectis columnis herilibus suffulta onus miserrimum sustineat — — sua sede relicta.« Verba ἄλλοις ἐν τείχεσιν Boeckhius cum Hermanno interpretatur »reliquos inter muros:« at sane otiosa essent verba et molesta; Dissen »peregrina in terra,« quod imaginem si spectas plane ineptum est. Recte Friederichs[1]) ἄλλοις ἐν τείχεσιν opposita dicit sequentibus ἐὸν-χῶρον usu verbi ἄλλος notissimo. Iam cum pergat Pindarus: ἔσσι δ' ἰατὴρ ἐπικαιρότατος, Παιάν τέ σοι τιμᾷ φάος· χρὴ μαλακὰν χέρα προσβάλλοντα τρώμαν ἕλκεος ἀμφιπολεῖν· ῥᾴδιον μὲν γὰρ πόλιν σεῖσαι καὶ ἀφαυροτέροις κτλ.: aegrotare rempublicam manifestum est. Ad quam sanandam Arcesilaus rex remedia paullo acriora videtur adhibuisse. Quid? animadverte poëtam inde a v. 277 nihil aliud quam admonere regem, ne exsulare sinat Damophilum, iuvenem nobilem et strenuum, tum v. 289 καὶ μὰν κεῖνος Ἄτλας οὐράνῳ προσπαλαίει νῦν γε πατρῴας ἀπὸ γᾶς ἀπό τε κτεάνων exsilii molestias praeclare comparari oneri: quae aenigmatis ratio sit, qui extremus ille ignis, quale onus illud miserum (v. 263 — 269), vix dubitaveris. Etenim cives nobilissimos aut exstinguere aut in exsilium mittere quam perversum, quam improbum sit docere vult poëta. Cave ne verbum δεσποσύναισιν nimis urgens a vero totius sententiae consilio abducare. Quercus enim speciosa et fertilis olim, nunc deturpata et sterilis facta sede sua relicta miserrimum onus sustinet. Qua condicione quod utitur illa domini columnis suffulta, nullius momenti est. Addito tamen isto verbo ut supra verbo χειμέριον imago veri ut ita dicam similior fit ac splendidior. Quam aenigmatis explicationem iam a veteribus interpretibus inventam esse nemo videtur observasse. Sed vide schol. ad inscript.: ἡ γὰρ δὴ προκειμένη ᾠδὴ ἱστορικὴν ἔχει παρέκβασιν, τὰ γὰρ ἐπὶ Κυρήνης κτίσεως καὶ τῶν ἐν αὐτῇ ταραχῶν περιέχει καὶ ὡς Ἀρκεσίλαος τοὺς μὲν ἀνεῖλε (cf. v. 266), τοὺς δὲ ἐφυγάδευσε (cf. v. 267 — 69), ἐν οἷς τις ἦν καὶ Δαμόφιλος κτλ. Recentiorum hominum sententias percensere longum est. De Gurlitto pauca addam. Qui cum pleraque hoc loco recte intellexerit, in eo tamen errat, quod cum Boeckhio totam civitatem, non nobilitatem quercu significari putat, itaque v. 266: εἴ ποτε χειμέριον πῦρ ἐξίκηται λοίσθιον de atrocitatibus nescio quibus, non de extremo ut par erat supplicio cogitat.[2]) — Hoc igitur vult poëta: Noli

[1]) v. stud. Pind. p. 35

[2]) v. progr. Joann. Hamb. mens octob 1815 p. 34.

saevire in optimos cives, qui et morituri et exsulantes probem virtutem innatam. Sed cum sis medicus aptissimus idemque Apollini carus, leni manu admota vulnus cures oportet, ut restituas rempublicam.« Sic praefatus Pindarus pro Damophilo exsule intercedit. —

3. Carminis Pyth. V exordium fere hoc est:

»Opes clara cum virtute coniunctae potentissimae sunt; quas tu quidem summa cum gloria sectaris propitio Castore. Sapientes vero hanc potentiam etiam ferunt pulcrius. Tu igitur cum utaris summa felicitate, — — memento dei[1]) omnium rerum auctoris, cole etiam Carrhotum (aurigam).« Hactenus omnia perspicua sunt. Sed addit post v. 14 nonnulla Pindarus paullo obscuriora:

σὲ δ' ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ πολὺς ὄλβος ἀμφινέμεται,
τὸ μέν, ὅτι βασιλεύς
ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων,
ἔχει συγγενές
ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας,
τεᾷ τοῦτο μιγνύμενον φρενί.
μάκαρ δὲ καὶ νῦν, κλεεννᾶς ὅτι
εὖχος ἤδη παρὰ Πυθιάδος ἵπποις ἑλὼν
δέδεξαι τόνδε κῶμον ἀνέρων,
Ἀπολλώνιον ἄθυρμα.[2])

Verba *ἐρχόμενον ἐν δίκᾳ* ne plane otiosa esse videantur, explicanda sunt cum Disseno »cum sis probus et iustus vir« (coll. Isthm. III, 5). Iam bipartita est enarratio magnae felicitatis: *τὸ μέν, ὅτι,* — — *μάκαρ δὲ καὶ νῦν, ὅτι.* — Vs. 17 ss. vero regis mores potius, quam felicitatem praedicant. Parum recte igitur plerique interpretes, quos sequi videtur etiam Bergk, verba *ἔχει — φρενί* pro apodosi ad *ὅτι — πολίων* acceperunt. Immo incisum illud assumptionem continet syllogismi huius: primum felicissimus es, deinde es sapiens: quare (cf. v. 12) pio gratoque animo esse debes. Quod elegantius et ornatius poëta dicit hoc fere modo: »felicissimus es, primum, quia rex es magnarum urbium, tenet (autem) oculus[3]) innatam hanc dignitatem eamque tua[4]) sapientia

---

1) de hoc loco confer quae disputavimus Jahn. ann. 1877 p. 24

2) *συγγενές* pro *συγγενής* reposui cum Bergkio; cf. Gurlitt, Pind. pyth. Siegesges. V p. 5 (progr. Joann. Hamb. 1811.) Tafel dilucidatt. Pindd. p. 760—61, Rauchenstein. comm. Pind. I p. 12.

3) similiter dictum *ἑᾷ κεφαλᾷ γέρας ἔσσεσθαι* Ol. VII, 67 (coll. Ol. VI, 60).

4) Friederichs (v. stud. Pind. p. 48) memor fortasse dicti illius Goethiani hoc loco oppositas dicit dignitatem hereditate acceptam et Arcesilai illam animo accommodatam i. e. vere propriam ideoque *τεᾷ* (*φρενί*) graviter in initio positam esse. Quod me non intelligere confiteor. — Significat poeta sapientiam istam, qua regem florere omnes noverint; conf. v. 107: *ἄνδρα κεῖνον ἐπαινέοντι συνετοί. λεγόμενον ἐρέω· κρέσσονα μὲν ἁλικίας νόον φέρβεται γλῶσσάν τε.*

temperatam; sed felix es etiam nunc, quod propter victoriam nuperrime reportatam hanc recepisti pompam. Quare« seqq. Asyndeton, quod libri exhibent v. 17, tolerari non posse apparet. Nec magis τε aptum foret, quod inserere voluit olim T. Mommsen. Desiderari δέ particulam videtur sensisse iam Ceporinus scribens ἔχει συγγενὴς δ'. Tu scribe, nisi forte mavis ἔχει δ' ἐγγενές (coll. Nem. X, 51), quod non opus, ἔχει συγγενὲς δ' ὀφθαλμός κτλ. Nam vs. 6 et 7 strophae in unum ut coniungantur, etiam metrum carminis suadet, in quo male se habeat versus dochmius.[1]) Syllaba brevi producta vs. 37—38: Κρισαῖον λόφον ἄμειψεν ἐν κοιλόπεδον νάπος ne offendare, confer Bergkium ad Pyth. III, 6. De particula δέ post alteram sententiae vocem posita vide interpp. ad Theocr. VI, 39. Pind. Ol. X, 99.[2])

4. Cum carmina duo unam in victoriam scripta invenimus, velut Ol. XI et X, Ol. IV et V, Ol. II et III, Pyth. IV et V, quo illa facta quove cantata sint ordine quaerendum est. Ol. igitur XI, brevissimum carmen, Olympiae sub ipsam victoriam videtur cantatum esse;[3]) Ol. X multis annis post compositum esse apparet ex vss. 1—8, 99 ss., scilicet ut canneretur redeuntibus victoriae sollemnibus. Etiam Ol. IV Olympiae cantatum esse puto cum Boeckhio (expll. p. 143. 145); Ol. V procul dubio pompae destinatum est Camarinensi, ac valde arridet coniectura Boeckhii singula systemata apud tria deorum delubra (Camarinae, Palladis, Jovis) cantata esse suspicantis. — Iam de Ol. II et III, Pyth. IV et V videamus. Quorum illa quidem Agrigenti,[4]) haec Cyrenis cantata esse probabile est; tum Ol. III et Pyth. V sollemni in pompa, Ol. II et Pyth. IV privata in comissatione acta esse ipsa carminum indoles declarat. Sed de tempore non constat. Dissen cum Boeckhio Ol. III ante Ol. II et Pyth. V ante Pyth. IV cantata esse censet, cum diis publice gratiae actae videantur ante, quam privata comissatio haberetur. Verum hoc quidem incertum. Id sine ulla dubitatione affirmaverim Ol. II et Ol. III non ita multo post victoriam scripta esse.[5]) Ac prius quidem cantatum credo Ol. II. Namque Olympica in victoria ante omnes Iovem et Herculem praedicandos esse poëta ipse docet Ol. II in: Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι, τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν; ἤτοι Πίσα μὲν Διός, Ὀλυμπιάδα δ' ἔστασεν Ἡρακλέης ἀκρόθινα πολέμου· κτλ. Iam Dioscurorum, quos maximo-

[1]) conf. Pind. carm. rec. T. Mommsen p. 209, W. Christ. Metrik d Griech. u. Röm. p. 481.

[2]) Parum recte huc vocant, Pind. Ol. VI, 74 et Ol. X, 71, ubi asyndeton ut in oppositis aptissimum. Particula δέ utroque loco librariis debetur. Conf. Boeckh. nott. critt. p. 379. T. Mommsen. adn. crit. suppl. p. 150.

[3]) vide Boeckh. nott. critt. p. 405, expll. p. 196.

[4]) quamquam recte monet L. Schmidt (Pindar's Leben und Dichtung p. 213) ταύταν ἑορτάν Ol. III v. 34 ludos Olympios significare, non sollemnia Agrigentina coll. Heimsoeth. add. et corr. p. 11.

[5]) cf. Ol. II, 46—52 cum Boeckh. expll. p. 120. 121. Ol. III, 6 ss.

pere a Therone cultos esse Pindarus auctor est Ol. III, 39—41, sollemnibus fortasse instantibus (neque enim in Ol. II Tyndaridarum ulla fit mentio) rex consilium videtur cepisse coronae iis dedicandae. A quo rogatus fortasse Pindarus iam magnificentissimum carmen scripsit *Τυνδαρίδαις τε φιλοξείνοις ἁδεῖν καλλιπλοκάμῳ θ' Ἑλένᾳ.* Quod ut splendidius etiam fieret carmine priore, videtur operam dedisse, cum »*νεοσίγαλον τρόπον*«[1]) inveniret. — Sed veniamus ad carmina in Arcesilaum facta. Pyth. V igitur reduci choro Pythio dedicatum esse quis est qui neget? Pyth. IV L. Schmidt arbitratur etiam ante illud regi missum esse, quod poëta rationem habuisse videatur regis cum maxime facilis et ad clementiam proclivis. Quod propter victoriam a poëta v. 2—3 et 66 levissime tantum perstrictam mihi quidem non probavit vir doctissimus. Boeckhio assentior carmen IV una cum V transmissum putanti (expll. p. 267). Ita enim carmina inter se cohaerent, ut alterum ab altero seiunctum recte intelligi vix possit. In carmine IV Arcesilai victoria tantum non omittitur, quippe quae in c. V uberius tractata sit, totum vero illud versatur in iis sententiis illustrandis, quae in Pyth. V ut in carmine publice canendo occulte quasi significatae sunt. Confer praesertim Pyth. V, 117—121 et quos versus modo (p. 5) explicavimus (ib. 17—19). Videtur igitur Pyth. IV statim post pompam factam in aula regis cantatum esse.

---

5. Pyth. XII, 28:

εἰ δέ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν, ἄνευ καμάτου
οὐ φαίνεται· ἐκ δὲ τελευτάσει νιν ἤτοι σάμερον
δαίμων· τό γε μόρσιμον οὐ παρφυκτόν, ἀλλ' ἔσται χρόνος
οὗτος, ὃ καί τιν' ἀελπίᾳ βαλών
ἔμπαλιν γνώμας τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' οὔπω.

Vulgatam lectionem Dissen (nisi quod v. 29 *ἤτοι* legit cum Boeckhio, v. 30 *τὸ δέ* ex duobus libris et schol. Gott. recepit cum Hermanno) sic interpretatur: »Si qua felicitas apud homines, sine labore non comparet, perfecerit autem eam sane vel hodie deus. Fatum vero evitari non potest, sed erit tempus hoc, quod etiam in insperata coniciens praeter opinionem alia quidem dabit, alia vero non dabit.« Quam non esse Pindari sententiam mihi quidem persuasum est. Neque enim in eundem hominem cadit primo perfecta felicitate uti, tum vero alia accepisse, alia nondum accepisse. Verba *καί τιν' — οὔπω* respondent antecedentibus *ἐκ τελευτάσει νιν — δαίμων* ita, ut felicitatem aut statim perfici aut non statim perfici dicat poëta. Iam *ἔσται* ad *τὸ μόρσιμον* referendum et cum Bergkio certissima emendatione *χρόνῳ* scribendum. Pro parenthesi igitur accipe verba *τὸ δὲ* (sic c. Herm.) *μόρσιμον οὐ παρφυκτόν, ἀλλ' ἔσται χρόνῳ.* V. 31 coniciat quispiam

---

1) cf. Ol. IX, 48 *ἄνθεα — ὕμνων νεωτέρων*, Isthm. V, 63 *νέον ὕμνον*.

ἤτοι ὁ — βαλών. Verum huic loco graviter, ut fieri solet in calce voluminum,[1] corrupto remediis videtur subveniendum esse paullo acrioribus. Scribe ἦ ὅγε (sc. δαίμων) καί τιν' — βαλών coll. Od. β 326: (Τηλέμαχος) ἤ τινας ἐκ Πύλου ἄξει ἀμύντορας ἠμαθόεντος, ἢ ὅγε καὶ Σπάρτηθεν, Il. E 671, Pind. Ol. X, 45, Pyth. II, 41, quibus adde locum a criticis adhuc frustra vexatum, levi tamen mutatione fortasse sic emendandum:

ἀλλ' αἶνον ἐπέβα κόρος
οὐ δίκᾳ συναντόμενος, ἀλλὰ μάργων ὑπ' ἀνδρῶν,
ὅγε λαλῆσαι (libri τὸ λαλαγῆσαι) θέλων κρύφον τε θέμεν ἐσλῶν καλοῖς[2])
ἔργοις· ἐπεί κτλ. Ol. II, 95.

Pro ἀελπίᾳ sive ἀελπτίᾳ metri gratia substitue ἀελπείᾳ cum Mommseno. Totus igitur locus sic scribendus:

εἰ δέ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν ἄνευ καμάτου
οὐ φαίνεται· ἐκ δὲ τελευτάσει νιν ἤτοι σάμερον
δαίμων (τὸ δὲ μόρσιμον οὐ παρφυκτόν, ἀλλ' ἔσται χρόνῳ)
ἦ ὅγε καί τιν' ἀελπείᾳ βαλών
ἔμπαλιν γνώμας τὸ μὲν δώσει, τὸ δ' οὔπω.

Ad sententiam confer Isthm. VII, 41: ἕκαλος ἔπειμι γῆρας ἔς τε τὸν μόρσιμον αἰῶνα. θνάσκομεν γὰρ ὁμῶς ἅπαντες· δαίμων δ' ἄϊσος.

---

6. Pyth. VII, 5:

ἐπεὶ τίνα πάτραν, τίνα δ'[3]) οἶκον ναίων ὀνυμάξομαι
ἐπιφανέστερον
Ἑλλάδι πυθέσθαι;

Vulgo οἶκον interpretantur »gentem.« Verum cum antea Pindarus optimum prooemium, quo fundamentum iaciatur carminis in curulem Alcmaeonidarum victoriam faciendi, magnas Athenas esse diceret, iam de urbis claritate potius quam de gente exponendum erat. Accedit quod vituperandus esset poëta, qui res diversas, patriam et gentem, non clarius distinxisset. Nam potest etiam πάτρα gentem et οἶκος domicilium significare. An pro synonymis verba accipienda putas ita, ut πάτραν patriam, οἶκον domicilium intelligas? Pindarum tam languida, tam frigida oratione uti quis est cui persuadere possis? Mox ναίων corruptum esse omnes consentiunt. Equidem, dum probabilius quid inveniatur, legendum propono ἐπεὶ τίνα πάτραν, τίνα δᾶμον ἀνδρῶν[4]) κτλ. Quae lectio commendatur etiam iis quae sequuntur.

[1]) conf. Ol. XIV, Nem. XI, Isthm. VIII (VII). [2]) κρύφον — ἐσλῶν καλοῖς Aristarchus.
[3]) δ' Pal. C, rell. τ'. [4]) ἀνδρῶν pro ναίων iam Rauchenstein coniecit.